


**05
A
1992**



DISPUTATIO ETHICA
DE
SUMMO HOMI-
NIS BONO PRA-
CTICO

Auspiciis.

Bonorum omnium Fontis uberrimi

D. O. M.

ET

Præsidio

M. ANDREÆ KESLERI,

Coburgô Franci , Facultatis Philosophicæ
in Almâ Leucorea Adjuncti ,

Publicæ & placidæ disquisitioni subjecta

A

MELCHIORE DURRIO, TORGENSI
Misnico, Alumno Electorali.

*Habenda ad diem 21. Junii, horis à 7. matutinis, in Audi-
torio Philosophorum.*

19. Ju

VVITTEBERGÆ
Typis JOBI VVILHELMI FINCELIL,
ANNO M. DC. XXII.

54.



Reverendissimo, Nobilissimo,
maximequè Strenuo, eruditione & experi-
entiâ eminentissimo VIRO, Dn. JOHAN-
NI LÖSERO, Electoratus Saxonici Archi-
marschallo meritissimo, Ecclesiæ Cathedralis,
quæ Naumburgi est, Canonico dignissimo,
& in Præsib⁹ hereditario.

NEC NON
VIRIS

Reverendâ dignitate, autoritatis gravitate, eruditio-
nis sublimitate Excellentissimis,

Dn. BALTHASARI MEISNERO, S.S. Theol. D. & in Aca-
demia Wittebergensi ejusdem Professori celeberrimo.

Dn. M. FABIANO NATO, Ecclesiæ Palæopolitanæ Pragen-
sis ad Salvatoris ædem Diacono quondam, nunc in Christo
Exuli.

Dn. M. ANTONIO BERGERO, Ecclesiæ Wittebergensis
Diacono fidelissimo, meritissimo.

Dnis Patronis Mecœnatibus, ac Promotoribus suis perpe-
tuo observantiæ studio prosequendis
Has studii Ethici primitias in grati animi testimonium, & ul-
terioris favoris incentivum, demisse

Dicat
offert

Melchior Durrius Torgensis
Autor & Respondens.

05 * 1992



I.

Aī dέχαται τῶν πράγματων τὸ γένενα τὰ πράγματα, id est, Principium in rebus gerendis est ipse finis, cuius gratia suscipiuntur actiones, ait Philosophus, lib. 6. Nicom. cap. 5. Sicut enim in scientia θεωρητικῇ ante omnia subjectum presupponendum est, ideo, quod sit in staro βάσις ac fundamenti reliquorum omnium in scientia illa pertractandorum; Negato vero vel ignorato subjecto, negantur itidem & ignorantur singula à subjecto dependencia: Ita quoque in disciplina πράγματι prima cura esse debet de vero fine actionum suscipiendarum, quis, & qualis ille sit, eò, quod fine negat vel ignorato, nullum medium pro fine illo acquirendo vel cognosci vel comparari possit.

II.

Dari autem finem certum & ultimum actionum quarumlibet, non tantum humanarum, sed & cujuslibet speciei & Individui, qui inficiatur, vel ipsam Solis in meridie lucem negasse putabitur, & superius allegata Philosophi autoritas satis manifeste evincit; qui etiam lib. I. de partib. animal. c. 5. expressè dicit: *In naturae operibus nihil temere viceq[ue] fortuita committi;* Sed alicujus gratia omnia agi. Et lib. I. de generat. animal. c. I. inquit: ἡ Φύσις αἱ ζητεῖ τέλος: Cui calculum adponit canon iste usitatissimus: *Deum & Naturam, Artifices quippe sapientissimos, nihil unquam fecisse, facere & facturos esse frustra.* Insuper creaturas quaslibet ad certum finem propendere, cunctasque operationes suas ad metam certam dirigere, quotidiana satis superque attestatur experientia.

III.

Dum autem hæc dicimus, non eo modo intellecta volumus, ac si unus idemque finis, unaq[ue] & eadem meta cuilibet rei, sive animatæ sive inanimatæ; sive rationali sive irrationali, sit præfixa, ad quam singulæ uno impetu ferantur, & actiones suas diversissimas dirigant; Sed statuimus potius, pro diversitate rerum diversos quoque indigitari fines, lib. I. Nicom. c. I.

quoque creatura sit præstantior; ed quoque finis advertatur excellentior.

IV.

Sic in rebus naturalibus, (intellige oppositas rebus animalis, & cum cognitione agentibus) apparere, conferentia quædam fieri ad finem, juxta Philosophum l. 2 Phys. c. 8. testis est ordo ille pulcherrimus, & variae actionum naturalium vicissitudines, certæq; leges, à quibus nunquam recedunt. Agunt siquidem uno & eodem modo, proq; incolumitate sua summo studio contendunt; Unde quum sibi conscientiae sint interitus, cui singularia sunt ob-
Scalig. ex noxia, in specie æternitatem quandam consequi nituntur, & magis ercit. 9. pro universi, quam suæ ipsius integritate sunt sollicitæ, quia noscunt ex universi corruptione majus malum securum esse, ut eruditè docet Excellent. Dn. M. Jacobus Martini, in partit. Metaph. l. 1. sect. 12. quæst. 7. pag. 565. 566. Sic lapis suo motu semper agit deorsum; Ignis semper urit & calefacit; aqua semper mafacit; terra semper producit herbas; aer attractus semper conservat vitam animalium; quod sanè ex abrupto & fortuitò tantùm, (uti Anaxagoræ & Epicuro visum fuit) & non potius necessariò ad convenientem ipsius universi compositionem.
Arist. l. 2. ac gubernationem ita evenire ac fieri, quis est sanæ mentis.
Phys. c. 8. compos, qui dicere ausit?

V.

Neverò Lectori scrupulus injiciatur, quando dicimus, res naturales circa finem occupatas esse, agere, pro incolumitate suæ pugnare, &c. quasi beneficio alicujus sensus ita agerent, reponimus hoc, nempe, actiones illas ita præcisè non egredi ab ipsis naturalibus agentibus, nec agentia hæc cognoscere suum finem, quæ videtur aliàs esse conditio necessaria agendi propter finem; Sed ut simul pendent ab agente illo supremo, quod in omnibus & per omnia operatur, in quo omne vivit & movetur, Act. 17. v. 28. & consequenter illis causalitatem finis sui perfectam & simplicem non tribuimus; Sed potius inclinamus ad aliam superiorem causam, vel primam substantiam, de qua Philosophus l. 12. Metaph. c. 8. res omnes in actionibus suis dirigentem, quæ est divina providentia, omnia justo & legitimo

legitimo modo inter se connectens, ordinans & subordinans,
legibusque tanquam singularibus terminis circumscribens,
ultra quas agere nec possint nec debeant. Ps. 148. v. 6.

VII.

Objicis: Naturam sæpiusculè finem intentum non asse-
qui, quando non exigua *ἀμαρτήματα* Naturæ, uti à Philo-
pho l. 2. Phys. c. 8. & Scaligero Exercit. 303. dist. 4. dicuntur, no-
bis obveniunt, monstraque informia, de quibus in specie
Philosophus agit l. 4. de generat. animal. c. 3. & 4. producuntur:
Sed respondemus, hoc tantum fieri per accidens, interveni-
ente quodam tum impedimento singulari, Naturam à propo-
sito aberrare faciente; unde etiam monstra à Magiro l. 1. Phy-
siol. cap. 3. th. 16. pag. So dicuntur, non quòd sint opera Naturæ
per se, neque Naturam eo fine agere, ut monstra producat;
sed ea esse *ἀμαρτήματα* Naturæ *impedita*: tum obstante illâ
Causâ superiore; siquidem ista constituit ordinem istum, &
pro libertate quoque immutare iterum facilimè potest. Nam
ut habent sermone triti versiculi Philippei

Non D E U S est Numen Parcarum carcere clausum,

Quale putabatur Stoicus esse Deus.

Ille potest Solis currus inhibere volantes,

Ille velut scopulos flumina stare facit.

Quando verò Scaliger exercit. 303. dist. 4. *formicæ, pedi-
culos, cimices, pulices & culices* nominat Peccata Naturæ, tunc
id tantum, ut ipsemet fatetur, per jocum facit, alias enim &
illa quoque animalcula, licet ratione externæ formæ & usus
videantur & appareant despectissima, creaturæ Dei sunt, ad
certum aliquem, eumque longè utilissimum finem conditæ;
nil enim noxit à Deo creatum esse, afferit Sapientia, cap. I. v. 14.

VIII.

Paulò liberior discursus se offert de brutis animantibus,
quòd agant propter finem; utpote in quibus aprior emicat
ratio, quam in agentibus naturalibus. Deprehendimus enim
illas naturali instinctu à bono sibi cōveniente allici, & quam-
vis non cognoscant formaliter suum finem, neque media-

ad finem ducentia ; (non enim unum cum altero conferunt, nec cum deliberatione agunt) naturali tamen instinctu & ductu appetunt sibi convenientem. Perfecta vero causalitas, cuius ope finis ille, quem intendebant, in actum deducitur, causae primae ac superiori unicè accepta ferenda est. Vel dicimus, bruta quidem suâ naturâ agere & occupata esse circa finem ; Non tamen seipsa intelligere, aut, quod pertractant, opus suum, siquidem non habent finem sui arbitrii, quasi à se regantur, (quæ enim naturaliter agunt, ea finem sui arbitrii non habent, quippe quum iis nullum sit arbitrium) & hinc necessarium esse, à superiori aliqua & rationali causa actiones illas dirigi, de qua egimus supra th.5.

VIII.

Hæc vero direcio in talem nonnunquam homines protrahere solet admirationem, ut etiam non pauci brutis non ultimam rationis particulam inditam esse proclaimare non dubitaverint. Videatur hac de re Aristoteles, l. 8. Histor. Animal. c. 1. & l. 9. Hist. Animal. cap. 7. unde etiam quasdam animantes in specie nominat *ingeniosas*, & quæ discipline possint esse participes, lib. 1. Hist. An. c. 1.

IX.

Ita quis non admiratur canis Ulyssis fidelitatem ? Elephantorum prudentiam ? Formicarum solertiam ? Gruum in servando ordine discretionem ? Rempublicam apum, Virg. l. 1. Aeneid. & earundem imperium, l. 3. de generat. animal. c. 10 ? Imò quod mirabilius : quis non admiratur ciconiarum migrations ? Crocodili lachrymas ? Polypum saxis se applicantem ? & id genus alia, quorum magnum catalogum recentet Aristoteles, l. 9. Hist. Animal. cap. 6. quæ certè omnia mirum in modum, & vix abs usu rationis, cognitioneque modi, propter finem quendam agere creduntur.

X.

Sed nodus hic solvi poterit negotio facilimo, si adverteratur tantum hoc, bruta nempe agere non cum deliberatione de mediis ad finem propositum perveniendi ; sed illis oblatis

pro

pro suis affectibus & appetitu, (quem etiam in bruta cadere asseritur I.i.Mag.Moral.cap.18.) uno & eodem modo, & cum impetu; licet etiam nonnunquam maximum detrimentum exinde illis eveniat, uti, afferente Philosopho, l.9.Histor.Animal.cap.49.

XI.

Unde brevibus dicimus: Brutis formaliter non innotescere rationem finis & mediorum, ob defectum προαιρέσεως & consultationis, l. i. de Anim. generat. c. 5. imò nec in ipso fine cognoscere rationem propriam convenientiæ mediæ cum fine; (*neque enim bruta dicuntur velle, sed tantum instigari*, ait Scaliger, exer.307.dist.4.) Sed quicquid iis obveniat, id tantum per phantasiam actum quendam (l.i. Metaph. cap.1.) ex necessitate naturali, vel potius sensione repentinâ, uti Scaliger exer. 286. dist. 2. loquitur, pro manante in obvenire: quâ phantasiâ positâ, tûm demum hoc vel illud sibi esse vitandum, prosequendum & appetendum censem, & cum impetu appetunt, quamvis non valeant rationem convenientiæ discernerere. Videatur Sebastianus Foxius, l. 5. Nat. Phil. c. 17. pag. 538.seqqu.

XII.

Inter omnia verò divina πλάσματα, sive sint οὐτα, & esse nudum tantum habentia; sive ζῶντα, & viventia; principem locum obtinet creatura illa nobilissima, HOMO, Pythagoræ ob id μέτερον ἀπάντων, Platonis θαῦμαθαυμάτων, Plinio mundi epitome, & naturæ delicie, Aristoteli animalium optimum l. 6. Nicom. cap. 7. ἔχων φύσιν ἀποτετελεσμένην, l. 9. Hist. Animal. cap. 1. omnium animalium prudentissimum, l. 2. de generat.an.c.6.&c.l.4.de part.an.cap.10. Ovidio animal sanctum, memorante Scaligero, exer. 254. Scaligero ipso animalium princeps, exerc. 250. dist.1. & miraculum naturæ, exer. 287. dictitata. Quæ sanè creatura quô est præstantior & excellentior præ cæteris; eò etiam præstantiorem & excellentiorem sibi propositum habet finem.

XIII.



XIII.

Dari autem humanarum actionum finem aliquem ultimum, dubium videri cuidam vix arbitror: siquidem si veritati manifestæ fides deneganda, id confirmant hactenus dicta, ex quibus confirmationis ergo tale neci poterit argumentum.: *Si operationibus tum rerum naturalium; tum brutorum animalium est certus aliquis finis, (conservatio nempè sui ipsius) quæ tamē non operantur, nisi partim absque ratione & discursu, ex solo tantum naturæ sue impulso & directione cause superioris;* Utique multò magis homini, cuius quidem sentiendi vita cum bruis communis, activa autem non item., li. Nicom. c. 5. actionibus suis cum ratione institutis, & ex libero arbitrio promanantibus, erit assignandus aliquis finis, propter quem actiones illæ suscipiantur. Nam homo suarum actionum principium est, referente Philosopho, l. 3. Nicom. c. 3. & lib. 6. Nicom. c. 13. Thoma, i. 2. q. 2. siquidē illi est ἀρεοάρεσις, quæ dicitur ἐνέστον προθεθελεμένον
Con sula- l. 3. Nic. c. 2. & βέλησις, quæ τῷ αγαθῷ, η Φανομένῳ αγαθῷ μετά tur Aug. λόγῳ ὁρεζεις, ut ita pro arbitrii sui libertate nullā superioris causa Confessio, sæ directione indigeat, præterquam in actionibus bonis, ad art. 18. quas per naturam ineptus est, 2. Cor. 3. v. 5. & ad illas manuductio Form. Cō ditione Spiritus divini maximè opus habet. Unde etiam, cord. p. 14 si boni quid efficerimus, non nobis sed DEO adscribendū, censit Apol. Cō set Bias Philosophus. At qui prius est verum; Ergo & posterius. fes. Aug.

XIV.

p. 218. & II. Adstipulatur tum autoritas Philosophi, in principio Keckerm. l. 1. Nicom. ca. 1. ita rationantis: τῶσα τέχνη, καὶ πᾶσα μέθοδος, l. 1. Syst. ὄμοίως δὲ πρᾶξις τε καὶ προάρεσις αγαθοῦ θνος ἐφίεσθαι δοκεῖ. Ethici, c. Et 1. 7. Eudem. c. 14. Φύσει ἐπὶ τῷ αγαθῷ βαδίζοις τὸν πᾶν. Et 1. 1. pag. 80. Polit. c. 1. αγαθοῦ χάρει πάντα πράττοι πάντες. Et. 1. 3. Polit. cap. 12. ἐν πᾶσαις μὲν ταῖς ἐπιτήμαις καὶ τέχναις αγαθὸν τὸ τέλος. Unde tale formari poterit argumentum: *Quicquid bonum extendit, id ad finem aliquem necessariò respicit. Sed res humanæ bonum expertunt. Ergo, Res humanæ ad aliquem finem respiciunt, & consequenter erit finis ultimus. Hoc namque negato, negatur & bonum. Finis enim & bonum sunt inter se ἀντίστοιχα, & inter*

& inter se possunt converti. Bonum enim habet rationem finis, quatenus terminat & quiescere facit appetitum, quando bonum illud est consecutus. Eodem modo & finis habet rationem boni. In naturâ semper bonus est, l.2. Eudem. cap. 10. & Scal. exer. 254. Si modo sit verus & legitimus finis, alias enim nec verum, sed apparet bonum: tum Scaligeri, qui ait Exer. 102. dist. 6. *Animam moveri ad beatitudinem ab intimo principio, quod summi boni appetat fruitionem. Sit enim principium nostrum primi particeps principii & ultimi finis.*

XV.

III. Exigit hoc ipsum triplex ille actionum humanarum finis, quorum primus & principalis est, propter quem homo conditus est, *Gloria Dei*, ad quam omnes nostræ actiones dirigendæ, 1:Cor. 10. v. 31. & Col. 3. v. 17. Et Christus ait Matt. 5. v. 16. *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant vestra bona opera, & glorificetur Pater vester qui in cælis est.* Alter est *communis & politicus*, quando omnia referuntur ad commoditatem publicam, & ad conservandam societatem civilem. Tertius est *privatus & domesticus*, pertinens ad bene constituendam familiam, cuius major & potior cura habenda, quam rei familiaris, juxta Aristotelein, l.1. Polit. c. ult. Ad horum ergo finium alterum non possunt non actiones humanæ dirigi & tendere. Unde vel lippis notum esse poterit, dari aliquem finem actionum humanarum ultimum.

XVI.

IV. Ex abundanti evincit hoc ipse rationis humanæ discursus. *Finis in omni consultatione & actione habet rationem principii*, quatenus nimirum finis est prima causa, animum agentis incitans ad suscipiendam actionem, ut expressè docet Philosophus, lib. 3. Nicom. cap. 3. & lib. 6. cap. 5. neque consultatio & deliberatio sit de fine, quia finis actionum est principium & fundamentum, lib. 2. Eudem. cap. 10. Sed tantum de mediis ad finem istum perducentibus; alioquin enim etiam finis vocaretur in dubium, & ipsa consultatio nil haberet certi ad quod respiceret, & in quo acquiesceret: Unde etiam à fine

B

omnis

omnis deliberatio & actio æstī mari sole vel bona vel mala. Sicut ergo iter ingressurus certam metū sibi propositā habet, ad quam iter suum unicè dirigit, & de commodis mediis eō pervenienti deliberat, ne forsan errabundus hinc inde circumvagari, & à proposita meta aberrare necessum habeat. Sic in omni vita & actione finem certum animo prospici oportet, ad quem postmodum omnia consilia & instituta nostra referantur. Unde etiam olim in Scholarum vestibulis appingebatur DIC, QUARE HIC. Et

Quicquid agis, prudenter agas, & respice finem.

XVII.

Stultissimum proinde foret agere frustrā & sine fine : Et nisi aliquis finis esset, in quo appetitus quasi terminaretur & acquiesceret; tunc progrederetur in infinitum, semper unum bonum propter aliud expetendo; & sic redderetur vanus ac irritus, l. i. Nicom. cap. i. quia nil haberet, in quo acquiesceret: *αδύνατον δὲ εἰς αὐτὸν οὐκέτειναι*, lib. 2. Metaph. c. 2. & *infinitum actu esse non posse*, testatur Philosophus l. ii. Metaph. c. 9. Hinc Natura vitare solet illud, l. i. de gener. anim. c. 1. & abhorret, Scalig. exer. 13. Quia enim infinitum *ignotum est*, lib. 2. Metaph. c. 2. & lib. i. Phys. c. 4. ignoti autem nulla cupido datur, & sanè Natura circa finem agibilem, Bonum, occupata est, lib. i. Eudem. c. 7. cuius gratia omnia agunt omnes, lib. i. Polit. cap. i. utique non mirum est, naturam infinitum ut hostem suum aversari & fugere. Infinitum verò est, vel quod impossibile est pertransire, eo: quod non sit aptum permeari; aut quod transitum habet inconsu- mabilem; aut quod vix, aut quod natura aptum est babere, nequaquam tamen transitum aut finem habet, lib. ii. Metaph. c. 9.

XVIII.

Tandem quoque frustrā conditus fuisset homo: ὁ Θεός δέ τοι η Φύσις γένεν μάτην ποιήσειν, ait Philosophus l. i. de Cœlo, ca. 4. & l. i. Polit. c. 8. Scal. exerc. 77. dist. 5. utique ergo & huic suo plasmati Deus finem ultimum proposuit.

XIX.

Perstat ergo, & invictissimæ est veritatis sententia nostra;

finem



*finem quippe actionibus humanis certum & ultimum esse proposi-
tum.*

XX.

Sed regeris; tot esse peculiares fines , quot sint actiones hominum; & s̄epe nonnullos expeti propter alios, l.i.Nicom. cap.7.& exinde vix posse sciri,in tanta copia & varietate actionum & earundem finium quæ via regia , & quisnam sit & esse debeat finis principalis & determinatus : Necesse ergo esse, ut vel tollatur ista finiū numerositas, aliàs enim canonis istius usitati, *Unius rei unicum esse finem*, infringeretur veritas?

XXI.

Sed respondemus: *Finem ultimum non tollere subordinatos & intermedios, sed eos potius ponere*; Donalds. l. i. Syn. Eth. cap.2. p.17. Loquitur canon iste de fine principali,in requapiam principaliter residente; subordinatos verò & intermedios , quippe ad finem illum perducentes, non excludente. *Principalis* autem *finis* dicitur ille , à quo quis primum movetur , l.4. Metaph. cap. i. & ad quem tendunt opera omnia. *Subordinati* verò dicuntur, qui ad principalem illum tendunt , & ad consecutionem illius sunt maximè necessarii. Unde optimè fieri potest , ut plures fines sint intelligenti ab intellectu ; non tamen eodem modo. E.G. Medicus intendit primò quidem ægri sanitatem ; deinde medicamentum propter sanitatem . : Ita multi s̄epe sunt subordinati fines ad unum aliquem principalem. Ubi tamen sciendum : Principalem finem nunquam queri ; nunquam in deliberationem cadere , utputà qui nunquam proponatur ignotus ; l.3.Nic.c.3.ca verò, quæ ad hunc finem consequendum faciunt, consultationem necessariò requiri. Ita studiosus novit finem suum ultimum, eruditionem, quærerit verò & anxious est de mediis , ad finem illum perducentibus, de quibus omnis illi est deliberatio, omnis consultatio.

XXII.

Circa indagationem verò finis ultimi actionum humānūm notetur; 1. *Fines* alios esse *theoreticos*, alios *practicos*. *Ilos* versari duntaxat in contemplatione & meditatione nuda;

B 2

Hos

Hos verò in operationum effectibus. 2. *Fines quosdam esse ultimos; quosdam intermedios vel subordinatos.* Illi totam suscep-
tam actionē dirigunt & moderantur, & quando ad illos per-
ventum est, acquiescimus; *hi* verò medium solummodo ad il-
lam perveniendi monstrant & ostendunt. His 3. accedat,
ut attendatur, cujusnam horum sit major utilitas; Ubi mox
deprehenditur, *τὰ ἔργα* vel opera ipsa *χειρῶς* & relatè *præstan-*
tiora esse ipsis ἐνέργειαις vel operationibus, lib. i. Nic. c. i. præfer-
tim in iis artibus, ubi operationes propter opera suscipiun-
tur, uti fieri solet in disciplinis Practicis; Ethica, Politica &
Oeconomica. Deinde, *ultimos fines semper præferendos esse in-*
termediis; illi enim propter se; hi autem propter alios expetun-
tur. Sic eruditio in summo gradu excellentior est quovis me-
dio ad illam perducente.

XXIII.

Atque hæc de finis ultimi cognitione & investigatione
in genere prælibasse sufficiat. Restat nunc, ut, ne extra oleas
nimium vagari videamus, in specie videamus, *quis nam sit,* &
quo nomine veniat finis ille ultimus practicus.

XXIV.

Hic ergo dicitur à Philosopho l. i. Nic. c. 4. & Scal. exer. 254.
Summum bonum, vel beatitudo civilis, & definitur l. i. Nic.
c. 7. ita: *ἐυδαιμονία σσὶν ἐνέργειαι τῆς ψυχῆς λογικῆς, καὶ αἴσ-*
τὴν τὴν αἴσιν οὐκ τελειοῦτην, ἐν βίῳ τελείω. i. e. Beatitudo est op-
eratio animæ rationalis secundum virtutem optimam & perfe-
ctissimam in vita perfecta.

XXV.

Quæ definitio ut rectè intelligatur, notandum i. *Defini-*
tum, quod est *ἐυδαιμονία, Beatitudo, vel Summum Bonum.* Ubi,
ne æquivocationum tricis implicati hæreamus, accurate no-
tandum, per Summum Bonum h̄ic non notari *Bonum Theo-*
logicum, quod Deus, qui solus bonus, Matth. 19. v. 17. nec Vi-
tam æternam, finem fidei nostræ, i. Pet. i. v. 9. in cognitione Dei
consistentem, Joh. 17. v. 3. de quo Philosophorum scripta nihil
habent, quin & ipsis de futura vita nequicquam cognitum fu-
isse,

isse, testatur Magirus, lib. i. in Eth. Nicom. cap. i. Sed *Bonum Philosophicum & civile*, quod est hujus vitæ, & hominem politicè & civiliter, non habito respectu ad cœlestem beatitudinem, beatum reddens. Nec etiam quæstionem hic esse de bono, ab hac vel illa actione speciatim intento; sed de generali sive communi. Nec de bono Φανούεντι; sed αληθινῷ; nec de bono θεωρητικῷ & in sola contemplatione, & facultatis γνωστικῆς; sed de bono πρακτικῷ, & in actione, facultatisque σχετικῆς perfectione, consistente, quod sanè per virtutum moralium exercitium Ethicus sibi comparare potest, vel cuius causa efficiens est virtus, quæ bonum hoc parit, & partum velut benigna nutrix fovet & tuetur. Donalds. lib. i. Syn. Eth. cap. 2. pag. 8.

XXVI.

II. *Genus*, quod est ἐνέργεια vel *operatio*. Neque enim sufficit virtutem cognovisse; sed ut eam habeamus ut amurque, nitendum, ait Philosophus, lib. io. Nicom. cap. 9. *Beatitudo* namque est *perfectio hominis*. Quare in quaunque re præcipiè consistit & videre est hominis perfectio & bonum, in ea est sita beatitudo. At qui in operatione & opere hominis præcipiè consistit & cernitur ejus perfectio; Non enim homo ad ignaviam & otium; sed certas functiones conditus est. Ergo in operatione consistit hominis beatitudo, & consequenter illa erit quædam hominis operatio. Minorem probo: In tantum enim res dicitur perfecta, in quantum est in actu. Sicut ergo opus vulgo commendare solet artificem, & cuiusque rei perfectio ex opere ejus & actione aestimatur, l. 7. Nic. c. 7. Pari ratione hominis etiam & perfectio & beatitudo cernitur ex ejus propria operatione, γὰν enim ἐν κτήσι, ἀλλὰ χρήσι, ἀρετῇς εἰν τὴν ἐνδυμανίᾳ lib. i. Nic. cap. 8. unde in operatione animæ consistere optimum bonum, expressè fatetur Philosophus, l. 2. Eud. cap. i.

XXVII.

Nulli ergo hoc in negocio mortali Democriti, Beatitudinem ἐνέργεια vel animi tranquillitate ponentem,

B. 3

cuius

cujus meminit Philosophus lib. io. Nic. cap. 7. & vitam contem-
plativam, quam Deos quoque agere, afferit lib. io. Nic. c. 8. pra-
eticae praeferentem, hanc enim plenam & refertam esse molestiis
& laboribus; Illam verò ab istis negotiis omnino vacuam &
liberam esse. Sed quia nostri non est instituti agere de bono
Deo enīm, sed praktico; hinc meritò sententiam hanc, sano sen-
su acceptam non culpandum, explodimus, & nihil ducimus,
præsertim quum teste Scaligero exer. 76. dist. I. anima, quæ circa
bonum suum occupata est, non fatigetur, sed tantum corpus.

XXVIII.

Nec obstat canon iste: Effectum non esse præstantiorem
suā causā, l. i. Poster. c. 2. & 10. Operationem verò esse effectum
virtutis. Nam potest esse præstantior in certo ordine & re-
spectu, quā nimur rationem causæ induit: Quæ enim inter
se pugnant absolutè sumta, illa optimè consentiunt diverso
respectu considerata. Hinc dicimus: Virtutem causam
beatitudinis esse, & hoc modo eadem præstantiorem. Rursus
autem beatitudinem etiam causam virtutis esse posse, & hoc
modo iis præpollere. Videatur Dithmarsus, l. i. Eth. exercit. I.
quæst. 2. pag. 25.

XXIX.

Seneca de Vita beata, cap. 4. cum Stoicis habitum virtutis
genus summi boni constituit, quando l. d. ait: Summum bonum
in iudicio est, & habitu optimæ mentis. Cui tamen ex rei veritate
in os contradicit Philosophus, lib. I. Nic. cap. 8. & alibi dicens;
εὐδαμονία γνένηται, ἀλλὰ χρήσται αρετῆς γνένηται, ἀλλὰ εὐεργεία
εῖται. Et sanè Summum bonum est finis ultimus, in quo
terminatur appetitus & operatio agentis: In solo verò virtu-
tis habitu non acquiescit vir bonis, sed cum refert ad actionē. Hac enim ratione & dormientes & mentis impotes dici
possent beati, quod adsurdum. Kecker. Curs. Philo. disp. I. pro. I.

XXX.

Socrates aliud genus, cognitionem nempè virtutis posuit;
sed quum ab Aristotele ipso lib. I. Eud. cap. 5. refutetur solidissi-
mè, actum agere hac in parte operæ pretium non ducimus.

XXXI.

XXXI.

III. *Differentia, quæ triplex.* *Prima* refertur ad causam effientem, à qua illa operatio potissimum ortum suum trahit. Non enim dicitur ἐνέργεια τῶν οὐρανῶν, quæ etiam in bruta caderre potest: *Ut enim τὸ vivere homini commune;* lib. i. Nicom. cap. 6. *Ita quoque τὸ operari;* sed ψυχῆς vel animæ, & quidem λογικῆς seu rationalis. Et quamvis beatitudo neque ad solum corpus, neque ad solum animam, sed ad totum hominem spectare videatur; Interim tamen quia primariò ab anima dependet, hujusque respectu homini attribuitur, hinc fit, ut rectè non corporis, sed animæ attribuatur operationibus. *A posteriori enim fit denominatio.* Nec enim hīc de *subjecto*, sed unicè de *principio operationis* illius solliciti sumus.

XXXII.

Insuper quoque neque locum habet in operationibus *Animæ irrationalis*, pro manantibus partim ab anima vegetativa, cuius tres functiones, *Nutrix*, *Auctrix*, *Procreatrix*, lib. 2. de Anima, cap. 4. quæ operationes non soli homini, sed & plantis & stirpibus sunt communes: partim à sensitiva, cuius duo facultatum principia; *Vis apprehensiva* & *Vis motiva*. Illa continet sensus tūm externos, *Visum*, *Auditum*, *Olfactum*, *Gustum*, *Tactum*. l. 3. de Anima c. 1. videatur quoque Sebāst. Foxius, l. 5. de Nat. Philo. c. 8. seqq. p. 459. seqq. tūm internos, *sensum communem*, à Philosopho l. 1. de Anima. c. 3. centrum circuli vocatum, quia in eo omnes sensus exteriore eorumque objecta convenient, ibique perfecta & completa sit operatio sensitivæ potentiarum, Magirus, lib. 6. Physiol. cap. 12. pag. 571. *Phantasiam* & *Memoriam*, de quibus fusè tractat Scaliger Exerc. 307. dist. 27. & Magirus l. d. Et Sebāst. Foxius, lib. 5. Nat. Philos. cap. 14. seqqu. pag. 503. seqq. *Hæc motus tūm internos, tūm externos in corpore excitat.* lib. 3. de Anim. cap. 9. Estque geminæ facultatis: *Vel vis Appetitivæ vel Locomotivæ*; quæ sanè omnia non minus brutis quam hominibus sunt communia & propria, lib. 3. de An. cap. 3. quarum applicationem vide l. 1. Nicom. cap. 12.

XXXIII..



XXXIII.

In his ergo beatitudo non poterit esse sita, alioquin enim sequeretur, etiam brutis illam esse tribuendam, quo ipso verò contradiceretur naturæ ipsius, & Philosopho, I. I. Nicom. c. 9. expressè dicenti: *Jure nec bovem nec equum nec aliud animal ullum, beatum dici posse, quia nullum horum actionis virtuose particeps esse possit; eam enim ex optimo, purissimoq[ue] loquendi usu soli homini competere*, ait Scalig. Exer. 250. dist. 5. cui soli benè vivere & benè agere datum est. lib. I. Mag. Moral. cap. 4.

XXXIV.

Sequitur ergo, h[ic]c tantum sermonem esse de *Anima rationali*, soli homini competente, & de ejusdem operationibus. Hanc rursus *duplicat* Philosophus; vel enim illa ex seipso rationem & intelligentiam habet I. I. Nicom. c. 6. & I. I. Mag. Mor. c. 35. & dicitur *MENS*, quæ pars potentiarum, scilicet, moralis est præstantissima, unde dicitur animi instrumentum, ut manus corporis, lib. Problem. Sect. 30. probl. 5. quod semper optimum sibi conveniens eligit, lib. 9. Nicom. c. 8. & ejus *ένέργεια* dicitur *Θεωρία* vel contemplatio: vel ex seipso quidem rationem non habet, illi tamen potest morem gerere, lib. I. Nicom. cap. 6. & dicitur *APPETITUS*, qui quidem per se irrationalis & bestiis quoque communis, lib. I. Mag. Moral. cap. 18. ortum enim trahit non nisi ex sensu, lib. I. de Plantis, cap. I. & brutis convenit, l. de & l. I. Metaph. c. I. in homine tamen eatenus dicitur rationalis, quatenus rationis imperium admittit, & rationi recte suadenti obtemperat; & ejus operatio vel *ένέργεια* dicitur *πράξις* vel actio: Unde etiam beatitudo in *Θεωρίᾳ* & *πράξιν* dispescitur, lib. 10. Nicom. c. 7.

XXXV.

Hæc duo, quia sola sunt principia actionum humanarum, excluso sensu, qui bestiis & plantis convenit, lib. 6. Nicom. c. 2. l. I. de Plant. cap. I. quæ alias dicerentur propriè agere aliquid; actio verò debet promanare ex electione, cui conjuncta est ratio &

ratio & voluntas: bestiæ autem, quum his de stituantur, dicuntur tantum nūcēt moveri, & ὅμοιατητή φέρεσθη seu impetu quodam naturali ferri ad aliquid; & sensus monstrat tantum τὸν, non autem τὸν, quod Mens demum facultate suā perficit. Utriusque igitur partis, & Mentis & Appetitus operatio intelligitur.

XXXVI.

II. Differentia est, quòd Philosophus in citata definitione ait: *Esse operationem animæ rationalis nā, ή ἀρετὴν τὴν αριστην ηγά τελειοτάτην;* ubi breviter mensura actionum exprimitur, & συνενδοχικῶς de συνόδῳ ηγά συλλογῇ omnium virtutum intelligendum hoc esse, docet Philosophus, l.i. Nic. c. 7. dicens: Una hirundo non facit ver, nec dies unus. Virtutes enim, licet naturā sint & videantur diversissimæ; usū tamen sunt conjunctissimæ; Atque ita virtutes omnes conjunctæ media Summi Boni dici merentur.

XXXVII.

Quidam per virtutem hanc optimam & perfectissimam arbitrantur Aristotelem respexisse ad *Prudentiam*, dictam Menandro ob id αὐτὸν μέγιστον: Pythagoræis, Matrem omnium virtutum: Piccolomineo grad. 5. cap. 4. Saluberrimam, ad vitam beatam nos perducens; tutissimam, medium in via virtutis Regia præscribens; Potentissimam, quā homo se vincat; Regiam, quæ internum hominem quasi parvum mundum regiā suā formâ componat, &c. Unde & Philosophus illam *formam* reliquarum virtutum omnium ponit, lib. i. Mag. Moral. c. ult. & l. 6. Nicom. cap. 5. Quidam *Sapientiam*, quæ mentem perficiat, & cui reliquæ virtutes sint ancillæ, l. 2. Meta. c. 2. Quidā verò *Justitiam*, virtutum omnium dominam & Reginam, Cic. l. 3. Offic. & Scal. exer. 507. Sect. 3. causam & scientiam, lib. 3. de legibus, excellentissimam, lib. i. de Nat. Deor. perfectissimam, & omnes virtutes in se continentem, lib. 5. Nicom. c. 1.

XXXIX.

Nos verò à Philosopho notari censemus non unam quandam virtutem, ejusque operationem; sed *omnes in summo*

C

gradu

*gradu constitutas.. Extra concursum enim omnium virtutum
nemo beatus verè dici meretur. Quâ ratione & Justitiam
Universalem hîc intelligere potuisse Philosophum, sanè non
inficiamur, quippe in qua, uti dictum, concursus omnium ali-
arum virtutum iustituatur, l.5. Nicom. c.3. & l.5. Eudem. cap. I.*

XXXIX.

*III. Differentia est, quando Philosophus ait; operationem
illam consistere ēν βίῳ τελείῳ: quo ipso duplicem videtur exigere
perfectionem; 1. ætatis, 2. durationis. Illâ indicat: Summum Bo-
num competere tantum hominibus perfectioris ætatis, non
verò etiam pueris & infantibus, imperfectam quasi vitam
agentibus, lib. I. Nic. cap. 9. carent enim sufficiente rationis usu,
minusque confirmatum ac rectum illis adhuc est judicium, ut
minus sensibus judicare possint, quam senes, lib. 7. Physic. c. 3..
bonumque à malo discernere. Unde etiam puer quavis bestiâ
intractabilior introducitur à Platone..*

XL.

*Ab idoneo verò auditore ut Ethices, sic ejus objecti sum-
mi boni, tria urget Philosophus, 1. Judicium, usu & experientiâ
informatum. 2. talem animum, qui illud ipsum in usum trans-
ferre velit & possit. 3. Ut afferat animum affectionibus pravis
liberum, ut expulso vizio virtutibus pateat aditus, quod fit,
quando per præcepta data affectuum impetus coercentur &
refrenantur. His omnibus verò pueri quum omnino ca-
reant & destituti sint, hinc fit, ut beatitudinis in teneris suis an-
nis compotes reddi nequeant..*

XLI.

*Porrò beatitudo est perfecta; ad hanc autem requiritur
etiam perfecta vita & virtus l. 2. Eud. c. I. & l. I. Mag. Moral. c. 4..
ideò ipso actu ipsis beatitudo illa civilis attribui non poterit;
sed tribuimus illam duntaxat vitæ virili, de quibus Philoso-
phus, lib. I. Magn. Moral. cap. 4. ait: ἡ γὰρ ἐστιν εὐδαιμονία ἐν
τῷ αὐτῷ (ἡ γὰρ πᾶς ἐνδαιμων) αὐτῷ ἐν αὐτῷ; ἔτος γὰρ τέλεος.*

XLII.

*Quo ipso tamen infantes à beatitudine non penitus ex-
clusos.*

clusos volumus, sed dicimus & appellamus non minus beatos, quatenus nimirum speramus aliquando tales evasuros, lib. I. Nicom. cap. 10. vel quia in ipsis conspicuntur manifesta futuræ virtutis signa, vel quia ipsi à claris parentibus sunt oriundi, quorum virtus & nobilitas & ipsos quoddammodo beare possunt.

XLIII.

Hac, nempe perfectione durationis indicat, beatitudinem illam non alicujus & exigui tantum temporis esse, sed perpetuò durare: Vel, non esse breve & momentaneum quoddam bonum; sed stabile & firmum, longoq[ue] tempore durable, μανάριον γάρ ηγή ἐνδαιμονα μία ημέρα γάρ τοι εῖ γόλιγος χρόνος, lib. I. Nicom. c. 6. Sed constantia requiritur & perseverantia, sed absque *eternitate*, quæ sanè in hominem, quâ talis, non cadit; diuturnitate tamen per totam vitam. Unde Ciceron. l. 2. de Fin. ait: Neque in aliqua parte, sed perpetuitate temporis vita beata duci solet; neque appellatur omnino vita nisi confecta & absoluta, neque potest quisquam alias beatus esse, & alias miser. Felix enim in longissimo & perfecto tempore est judicandus, lib. I. Magn. Moral. c. 4.

XLIV.

Ventilatā itaque hactenus Summi Boni definitione, ad *Causas* ejusdem pedem figimus, consideraturi ejus *causam efficientem, materialem, formalem, & finalem*.

XLV.

Circa *Efficientem*, à qua principium fieri solet motus, l. I. de gener. & corrupt. c. 7. vulgariter adhiberi solet distinctio in *Remotam* & *propinquam*, quam etiam hīc adhibere, non abs refore arbitror.

XLVI.

Dicimus verò, *causam efficientem Summi Boni remotam & primariam esse ipissimum Deum*, l. I. Nicom. c. 9. à quo omne bonum & perfectum donum venit, Jac. I. v. 17. & qui fons & largitor est omnis boni. *Propinquam verò & secundariam ipsum bonum*, crebris & virtuosis actionibus illud sibi acquirens.

C 2

Habet

Habet enim homo illud cœu metam actionibus suis præfixum,
quod etiam, modò velit, indefesso virtutis studio & industriâ,
id est, doctrinâ & exercitatione, Donalds. I. i. Syn. Eth. c. 3. p. 36.
37. tandem sibi comparare omnimodò posset. Et licet alias a p-
pelletur bonum Θεον & Θεόθοτον; tamen quia Deus nunquam
agit immediatè; ideo vult accedere hominis laborem & indu-
striam. Bona enim quævis largiter Deus dispensat; verùm non
otiosis, & in utramvis auram stertentibus: Nam ut Hesiodus
I. i. Oper. & dier. p. 20. & 22. ait:

λιμὸς γάρ τοι πάμπαν δεργῷ σύμφορος ἀνδεῖ.
ἔξεργων δὲ ξανδρες πολύμηλοι τὸ φυεῖσθε.
——— ν, πλάτωδέ αρετὴ καὶ κῦδος ὅπιδεῖ.

Et notum est dictum Epicharimi:

τῶν πόνων πωλεῖσθαι ημῖν πάντα τὰ γαθὰ οἱ θεοί.

XLVII.

Abeant ergo Summum Bonum à *Fortuna* provenire
falsissimè clamitantes. *Fortuna* enim teste Philosopho lib. 7.
Eud. c. 14. non est causa omnium, quorum existimatur; quorum
autem sit, indicatur lib. 1. Rhetor. c. 5. Et lib. d. c. 10. expressè ait:
Fieri à fortuna talia, quorum causa indefinita, quæque non
gratiâ hujus fiunt, & non semper, nec plerumque nec ordinatè;
Et l. 2. Magn. Moral. c. 8. ait: Illam in ejusmodi rebus locum
habere, ubi neque mens ulla, neque ratio recta est. Quæ omnia
à Summo Bono alienissima esse vel pueris notum est.

XLVIII.

Insuper, quum beatitudo tantum sit bonum internum,
animæ, non corporis potentias concernens; fortuna verò ex-
ternorum bonorum causa, internorum verò non item, lib. 7.
Polit. c. 1. nisi quod hominum animos tantum reddat petulan-
tes, lib. d. c. 15. stolidos l. 1. Eud. c. 14. superbos & inobedientes,
l. 4. Polit. c. 11. hinc quâ ratione beatitudo à *Fortuna* provenire
possit non video; præsertim quum & ipsa cæca sit, l. Problem.
sect. 29. quæst. 8. volubilis, l. 1. Nicom. c. 11. varia, l. 2. Mag. Mor.
c. 8. variarumque in Republica mutationum causa, l. 5. Polit. c. 3.
& respectu harum confusionum nunquam ferè per pruden-
tiam

tiam agat, lib. 7. Eud. cap. 14. & arreptâ illâ frustrâ Magistratus
in legibus ferendis insumerent operam, ut nimirum cives se-
cundum eas vitam vitæque actiones instituant, quia per eam
neque bene neque malè vivatur, l. i. Nicom. c. II. quoniam & ip-
sa sit injustissima, l. 4. Nicom. c. 2. & 7. Et consequenter Fortu-
næ nil minus quam beatitudo erit ascribenda, lib. 7. Polit. c. I.

XLIX.

Soli ergo Deo accepta ferenda; non Fortunæ: Quam ta-
men hoc ipso non planè exterminatam cupimus; Nam & hæc
de numero causarum est, l. 2. Phys. c. 4. hæc indiget vita huma-
na, l. i. Nicom. c. II. illius possessio mediocris optima omnium,
l. 4. Polit. c. II. ipsaque multum facit ad vitam beatam, l. 2. Mag.
Moral. cap. 8. quin & bonorum externorum, ex par-
te ad Summum bonum facientium, l. i. Nicom. c. 9. domina di-
citur, lib. 7. Polit. c. 13. Cic. 5. Tuscul. & ad illud se habet ut causa
per accidens, Golius l. i. Eth. c. 9. & hinc infimum tantum inter
beatitudinis causas locum promeretur.

L.

Causa materialis, quæ dicitur primum subjectum ex quo
aliquid fit, l. i. Phys. cap. 9. vulgo dividitur in materiam *in qua*, &
ex qua. Hæc est id, ex quo quippiam fit eo pacto ut insit, lib. 4.
Metaph. c. 2. Illa propriè sumitur pro subjecto, ex cuius po-
tentia educuntur quidem accidentia, sed unā cum ipso essen-
tiā non constituunt, & dicitur subjectum inhæsionis, sicuti
paries dicitur subjectum albedinis.

LI.

Materia *ex qua* in Summo Bono non datur, quum acci-
dens sit non substantia. Materia verò *in qua* vel subjectum in-
hæsionis omnino datur, ubi tamen beatitudo tantum ratione
fundamenti & habitualiter consideratur. Formaliter enim
est continuata virtutis actio, quæ procedit quidem ab homi-
ne, sed non hæret in homine, actiones enim sunt in perpetuo
fluxu, quibus ob id certum subjectum, cui constanter, fixèque
inhæreant, non assignandum, uti eruditè differit Excell. Dn. D.
Meisnerus, in Dissert. de sum. Bono, c. i. quæst. 14. p. 159. Estque

C 3

hæc

hæc materia duplex: Vel enim est *subjectum remotum*, vel *propinquum*: Illud est corpus humanum, ab inhærente bono, bonum & beatum dictum, quod alias nullius virtutis capax, l. i. Nicom. c. 13. Propinquum est, ipsa anima hominis, quæ principalis sedes est virtutum, & extra quam virtutum habitus recipi non potest. Cuiverò facultati animæ τεχνώσ insit, vide in citata dissert. de S.B.c.2. quæst. 3. p. 175. seqq.

LII.

Formalem causam Summi Boni, quæ est ratio ejus, quod quid erat esse, l. 2. Phys. c. 3. hactenus in Genere Summi Boni vidi mus, estque *virtuosa actio*, vel *continuatio quarumlibet virtutum moralium in vita perfecta*. Is enim demùm dicendus beatus, qui facit secundum virtutem quoties opus est, & commode fieri potest, Barthol. in Enchir. Eth. part. com: cap. 1. Et is felix & perfectus moribus est, qui justè vivere, & benè mori seriò ac semper meditatur, ait Casus, lib. 1. Spec. Mor: cap. 7. pag. 40. qualem hominem fusè describit Philosophus, lib. 1. Nicom. cap. 10.

LIII.

Licet autem Philosophus continuationem *interruptam* actionum virtutis exposcere videatur; tamen respondemus cum Dithmaro l. 1. Sys. Eth. exer. 1. q. 3. Philosophum non intelligere continuationem *numericam*, soli Deo, Angelis & beatis, qui in agendo ob actum simplicissimum deficere nequeunt, propriam; sed *specificam*, i. e. modò homo virtuosus interfandi à virtutum tramite non exorbitet in vitiorum semi tam, sed perpetuo tenore virtutem colat. Nam & quiescere solet interdum vir bonus, sed non ignaviae causâ; sed ut eò alacrior ad officium redeat. Barthol. l. d. & otio & quiete ad virtutem comparandam opus esse, testatur Philosophus, l. 7. Polit. c. 9. In medio verò otio constans permanet; & à virtute minimè deflectit. Unde tales homines à Philosopho dicuntur *Quadrati*, quod nullà fortunæ vi everti possint, sed sibiipsis semper constent, secum consentiant, & in quamcunque partem voluntati, semper constantes appareant. lib. 1. Nic. cap. 10. Et l. d.

Et. l. d. ait: *Virum bonum omnes casus fortunae honeste ferre, & ex iis, quæ suppetant, semper pulcherrima quæque facere, instructumque esse virtutibus non tantum quovis tempore; sed vita absoluta.*

LIV.

Finis, cuius gratia quid fit, l. 2. Phys. c. 3. Summi Boni nullus datur, quia ipsummet est ultimus finis, quo non datur quis superior; illius enim gratia expetuntur omnia; sed ipsum propter nil aliud, l. 1. Nicom. c. 7. secus enim finis summi & ultimi nomen non mereretur: respectu tamen tantum habito ad bonum politicum; alias enim uti thesi 16. dictum, superior datur, *Gloria Dei*, ad quam quævis actio nostra est dirigenda.

LV.

Visis ergo Summi Boni causis, ordo flagitat, ut paucis quoque intropiciamus ipsius *Notas essentiales*, quarum à Philosopho passim in Ethicis recensentur *duodecim*, quas levi tactu percurramus.

LVI.

1. Dicitur Bonum ἀνέρτατον, καὶ τελείωτατον, l. Nicom. 7. & l. Magn. Mor. c. 4. & μέγιστον καὶ ἄριστον, l. 1. Eud. c. 7. Cujus enim gratia fiunt omnia, & in quo bona terminantur omnia, id extremum bonum, & finis bonorum est: Sed beatitudinis gratia omnia suscipiuntur & fiunt, in ejus quoque adēptione actiones acquiescunt. Ergo. 2. *Perfectissimum* quoque est. Perfectum verò est, cui nil addi, vel demi potest l. 4. Metaph. c. 16. l. de Cœlo, c. 4. lib. 1. Eth. Nic. c. 7. & 8. Quælibet autem virtus perfecta est, l. 1. Nicom. c. 13. l. 2. c. 6. & l. 4. c. 3. nullum verò perfectum fine caret, l. 3. Phys. c. 6. optimus verò finis quid perfectum est, l. 1. Nicom. c. 5. perfectus autem finis est, quo si potiamur, nullā amplius re ad illum faciente opus est, l. 1. Ma. Mor. c. 2. Sed in Summo Bono instituitur & terminatur σύνοδος & concursus horum omnium. Necessariò ergo sequitur, illud esse perfectissimum; alias enim sequeretur, illud à virtutibus illis perfectionem suam mutuari, quod tamen esset contra naturam ipsius, est enim αὐταρχεῖς l. 1. Nic. c. 5. & nullius rei indigum, in seipso perfectum, l. 7. Nic. c. 14. l. 9. c. 9. & l. 10. c. 6. & l. 1.

Mag.



Mag.Mor.c.4.& finis perfectus.lib.i.Nic. c. 5. ut paulò inferius dicetur.

LVII.

II. δι' αὐτὸν ἀγαπητὸν πρόπτερον σε χρήσιμο, lib.i.Nic.cap.3.& μαθ' αὐτὸν δικαιοτὸν, lib. i.Nic.c.5. Necessarium namque omnino est, ut bona quædam sint τάντη καὶ πάντως αἰρετὰ lib.i.Mag. Mor.c.2. quædam verò κατὰ τὸ tantum & respectu aliis; & sic unum propter se; reliqua verò propter illud appetantur, secus enim progredieretur in infinitum. Quia ergo Summum Bonum est perfectissimum omnium bonorum, ideoque non alterius, sed sui ipsius gratiâ expetibile, alias enim daretur quodam superius & magis appetibilius Summo Bono, quod absurdum.

LVIII.

III. τραυτὸν καὶ ιτητὸν ἀνθεώπω l. i.Nic.c.4. Studio enim & industria hominis potest comparari. Dantur vulgo bona respectu hominis quædam *improportionata*, & ejus captum excedentia, quorum hac in vita particeps fieri nequit; quædam vero proportionata, & αὐτεξχώσια, quæ ejus studio ac industria comparari ac possideri possunt, l.3.Nic.c.5. ex hoc ergo, non *illorum* numero est bonum civile; nisi enim hoc adquiri posset, tunc frustra quæreretur, frustra quoq; ad illud pervenientium præscriberentur media. Sed cadit in hominem, non quidem cæco fortunæ impetu; Nam id, quod maximum & pulcherrimum, fortunæ committere valde pravum est, l.i.Nic.c.10; sed laboribus magnis & indefessâ industria, καλαγαρε χαλεπά, & μοχθεῖν ανάγκη τὰς θελόντας ἐντυχεῖν. Nec obstat, quod Philosophus, l.6.Nicom.c.13. ait; Nos per Naturam possidere virtutem, ac naturâ esse temperantes ac fortes: Ibi enim sumitur virtus pro dispositione naturali, quæ est causa virtutis propriæ dictæ. Propriissimè autem accipitur pro habitu mentis, frequenti usu & exercitatione comparato.

LIX.

IV. Οἰκεῖον, proprium. l. Nic. 3. Quilibet suæpsius fortunæ faber, dicimus vulgo. Ita quoque summum bonum à nemine alio

alio homo expetere necesse habet ; sed proprio studio sibi
comparare, comparatoque pro libertate uti frui potest. Ea
verò quæ foris petenda, ut ut etiā perfecta, jucunda, optabilia
& utilia; minus tamen durabilia esse solent, quum tamen con-
stantia à Summo Bono vel maximè requiratur. 2. dicitur etiam
hominis ὀμοῖον ; quatenus nimis non in bestias, sed solum
hominem cadere solet, de quo th. 19. egimus.

LX.

V. Αὐταρκεῖς & difficulter mobile. 1. Nic. 3. Inconstantia
solet esse imperfectionis indicium ; Hac verò omnino vacat
Summum Bonum, quippe, quod in se & per se perfectissimum,
stabile & minimè mutabile , lib. 1. Nic. c. 11. unde etiam felicem
ex longissimo tempore judicandum censet Philosophus , lib. 1.
Mag. Mor. c. 4 Quò enim quid constantius & firmius, eò ex-
cellentius solet esse & pretiosius, & contrà. Hinc etiam beatus
Quadratus prædicatur l. 1. Nic. c. 10. Quadratum enim difficul-
ter movetur; rotundum verò facile nutat : Sic vir beatus nullâ
vi fortunæ potest verti, sed semper immobilis & constans pér-
sistit. Hinc Seneca ait: Beatum esse inconcussum, imperterritum,
quem si vis aliqua moveat, nulla perturbet. Nec est, quòd
objicias, felicem non raro è throno suo deturbari, & in extre-
mas detrudi miserias : Hæ enim miseriæ Felicem non ferunt,
externam vitam concernunt, animi magnitudinem non attin-
gunt, quæ nunquam mutatur in deterius, alias enim illum non
verè beatum fuisse dicendum esset. Imò tunc maximè felicem
splendescere dicendum, quando ærumnas & tragædias for-
tunæ magno animo perfert, censet Casus , lib. 1. Spec. Mor. c. 7.
pag. 40.

LXI.

VI. Αὐταρκεῖς & seipso contentum. 1. Nic. 5. Perfecto nihil per-
fectius. Hoc verò est id, extra quod nihil eorum, quæ ipsius
sunt, possibile est accipere. 1. 2. de cœlo , c. 4. & hinc perfectum
dicitur αὐταρκεῖς & nullius rei indigum. Sed Summum Bonum
etiam secundum suam essentialē & absolutam perfectionem
est τελεότατον; Ergo etiam erit αὐταρκέστατον. Perfectum enim

D est,

est, quo si potimus, nullâ re indigemus lib. i. Magn. Moral. c. 2.
Ergo quum Summum Bonum tale sit perfectum, necesse est, ut
sit quoque *αὐταρχεῖς*. Hæc duo enim inter se convertuntur, ita
ut perfectus non possit non esse sibi *αὐταρχεῖς* & contra. Hu-
jus, *αὐταρχεῖας*, naturæ deductionem latiorem vide apud Kec-
Kerm. Syst. Eth. l. 2. c. 3. p. 197.

LXII.

VII. *τολύκονον vel commune*. Non enim certarum est tan-
tum personarum; sed omnibus adaptable. Bona enim quò
præstantiora, eò etiam communiora. Unde & pueris & in-
fantibus inesse dicitur, sed in potentia, non actu, in spe non re,
&c. Quòd verò paucissimi illud assequuntur, in causa est Na-
turæ hominum perversitas, cui quidem præclari quidam i-
gniculi & semina virtutum indita sunt, quæ diligentis studio &
assuefactione excitari, amplificari & perfici possunt, actionis
enim repetitione multiplici fabricatur demùm quasi habitus
& perficitur, ait Scal. exer. 307. sect. 4. Sed simul atque editi in
lucem sumus, in omni continuò pravitate, in summa opinio-
num perversitate versamur, ut penè cum lacte nutricis erro-
rem suxisse videamur: quæ perversitas summo virtutis studio
& exercitio corrigenda, & ita successivè abolenda est.

LXIII.

VIII. *Kοιωνικὸν seu communicativum sui*: lib. i. Nic. cap. 5. Sol
non sibi lucet, nec aliquibus duntaxat hominibus; sed radios
suos undequaque extendit, omniaque splendore suo perlu-
strat: pari modo Summum Bonum non sibi, sed aliis; non ali-
quibus, sed omnibus bonitatem suam communicat, & quidem
non in paucis rebus bonis, sed accumulat bonis tām internis,
quām externis, Corpori largiendo constitutionem optimam,
ut præcisā vitiorum & affectuum pravorum segete pessimā, o-
perationibus juxta Prudentiæ præscriptum expediendis aptis-
sum, animæque non onus sed honos, non impedimentum,
sed salutare & utile. *ὅγανον* & instrumentum sit & esse possit.
Animo verò insignem conciliat voluptatem, quā Mens sibi de
statu felici gratulatur; Memoria intuetur factorum rectitudi-
nem,

nem, unde Conscientia bona, dulcis senectæ nutricula, & remedium in adversa fortuna maximum & præsentissimum exoritur. Hinc etiam fit, ut quò quis beatior & virtuosior, eò magis optat & studet inservire, & bonitatem suam communicare aliis. Unde eum, qui actionibus liberalibus & bonis non gaudet, nomine boni indignū censet Philosophus, l.i. Nic.c.9.

LXIV.

IX. θεῖον vel divinum. Præmium enim & finem virtutis optimum quoddam & divinum, beatumque esse, testatur Philos. lib.i.Nic.c.10. partim ratione causæ efficientis; Est enim θεόθοτον καὶ θεόπεμπτον; Si enim ait l.d. aliquod aliud est à Diis hominibus exhibitum donum, verissimile est, Felicitatem ab iis quoque exhiberi, quamvis διάρρητην τινα μάθησιν καὶ ασκησιν: partim ratione effecti, quia homines Deo maximè assimilat, per illud enim homo taliter vivit, ut appareat, aliquid divini in eo esse, l.10.Nic.c.7. redditur Deo amicus, l.d.c.9.Unde etiam virtus dicitur versari circa ardua & difficultia, l. 2. Nic. c. 2.Kec-Ker.l.i.Syst.Eth.c.3.p.137.

LXV.

X. τίμιον, vel honorabile. l.i.Magn.Mor.c.2.& l.i.Nic.c.12. quo in capite tria bonorum genera constituit Philosophus; ut nempe 1. sint bona ἐπαγγελτα, vel laudabilia, 2. ὕμια, vel honorabilia, 3. γένετερα & neutra, vel quæ neque laudem neque honorem promereantur. Quæritur ergo, quale bonum sit felicitas? ἐπαγγελτον esse nequit; Hoc enim laudatur propter aliam aliquam qualitatem, quæ ei adest, vel ad quam dirigitur; nec γένετερον vel tantum potentria; Hac enim ratione homo felicitate vel benè vel male uti posset, in sui vel emolumentum, vel memorabile damnum. Felicitas quoque est operatio non potentia: Ergo erit τίμιον & honorabile; Honor enim quid præ laude in se continet excellentius, quia competit tantum rebus divinis & præstantissimis; tale quid autem felicitatem esse, ex thesi præcedente constituit. Laudem vero non excludit; sed quia hæc minorem lucem habere videtur, quam honor, qui nil aliud, quam laus intensa, ut ait Casus, lib.i.Spec.Mor.cap.12.

D 2

hinc

hinc honori postponitur, habito tamen respectu non ad honorem divinum, in timore & amore consistentem, soliq; Deo proprium; sed humanum & civilem, ab applausu populi obfirmitatem virtutis, quæ est in beato, dependentem, qui est præmium virtutis, ut loquitur Casus, l. d. & tribuitur bono perfectissimo: laus verò tantum adhibetur, ut calcar addat recte facientibus. Videatur Donalds. l. Eth. Syn. c. 5. p. 46. lib. 3. c. 5. p. 208.

LXVI.

XI. *Mn̄ βίασον, non violentum.* l. Nic. 3. Dicitur violentum esse contra naturam, l. Probl. sect. 1. probl. 6. & 1. 5. de gen. anim. c. 8. esse acerbum & involuntarium, l. 2. Eud. c. 7. & 8. KecKer. l. i. Syst. Eth. c. 1. p. 98. 99. Clar. Dn. Jac. Mart. l. i. Exerc. Metaph. exer. 5. theor. 4. p. 204. quæ omnia à felicitate sunt alienissima. Ea enim industriâ humanâ potest comparari, cum voluptate possideri, & optimâ voluntate exerceri. Nec etiam adquiritur per vim, sed per legitima media; non per fraudes, sed per virtutes possidetur; non coacte, sed liberè suaviterque exercetur. Idcirkò felicitatem à violento tam ut à causa, quam effectu oportet esse alienissimam

LXVII.

XII. Tandem, *Non est Otiosi, nec dormientis, nec calamitosi,* l. Nic. c. 3. Non otiosi. Otium enim pulvinar Satanæ, ex quo nulla non scelera ceu ex Scaturigine promanare solent; hinc dicitur facere petulantes, l. 7. Polit. c. 15. Et Bernardus ait: otiositas mater nugarum, & noverca omnium virtutum, ipsa enim est, quæ virum fortem fortissimè præcipitat in reatum; facit ei suffocare virtutem, & vitam construere ad gehennam. Et Seneca Otium nominat mortem, & vivi hominis sepulturam. Ubi tamen exceptum volumus otium illud, cuius mentionem facit Phil. l. 8. Pol. c. 3. quod dicitur *finis negotii* l. 7. Pol. c. 13. vide thesin 53. Nam otium quod industriæ & studio maximè contrarium videtur, præcipue subiecti debet, non quo evanescit virtus, sed recreatur, ait Cassiod. in Epist. Nec dormientis. Is enim plantæ vitam vivit, l. 1. Eud. cap. 5. lib. 5. de gen. an. cap. 1. & multum

multum præ se fert imperfectionis: dormientis membra tor-
pescunt, l. Probl. sect. II. Probl. 17. & 27. sensibusque is uti nequit,
sed quasi mortis imago stertit, laudabulum actionum privati-
one præventus. Unde somnus dicitur vinculum & immobi-
litas sensuum, l. de Som. & vigil. c. I. & l. 5. de gen. an. c. I. ait, Phil.
somnum vivendi & non vivendi interliminium esse, illumque
qui dormit, neque omnino esse, neque non esse. Sic somnus
nolentes sæpius prævenire solet, lib. Probl. sect. 18. probl. I. & 7.
Eatenus ergo homo; quatenus in tanta imperfectione consti-
tutus deprehenditur, summâ felicitate, à quâ talia sunt alienif-
sima, frui nequit. Nec etiam *calamitosi*, quatenus homo con-
sideratur extremè miser; alias felix fortunâ premitur quidem,
sed non opprimitur, quin potius ut palma ponderis exponit,
& ut aurum vel millies coctum, non absunitur, sed melius &
nobilius redditur; Ita vir bonus in mediis spinis semper calce-
atus incedit, nullaque fortunæ vi opprimi & à felicitatis thro-
no deturbari potest.

L XVIII.

Atque hæc sunt Summi Boni requisita propria, ex quibus
facili negotio de Summo Bono judicari poterit, in quam re
illud primariò situm sit. In quacunque enim re hæc requisi-
ta omnia non reperiuntur, illa Summi Boni nomine indigna-
est, & contra.

L XIX.

Antequam verò hic discursus noster vela contrahat, na-
vemque littori applicet, placet prius percurrere breviter *di-
versissimas & iniquissimas quorundam de Summo Bono senten-
tias*. Extitère enim olim hac de re tot sententiæ, qnot ferè ca-
pita hominum: Nam Varro dicitur 288. numerâsse sui temporis
opiniones. Et quod admirabilius: Unus & idem homo diver-
sis temporibus diversam videtur appetere beatitudinem, licet
à fine ultimo aberret longissimè.

LXX.

Illis verè ambiguitatibus missis, levi tactu tantum percur-
rere sufficiat classes illas, ad quas commodè omnes iuidentur.

referri posse, ad quas etiam retulit Philosophus ipse. I. Classis est
 $\alpha\omega\lambda\alpha\sigma\eta$ voluptuosa, ubi degunt non nisi cum Sardana-
palo Epicuræo Ede, Bibe, Lude crepantes, de quibus Paulus,
I. Cor. 15. v. 33. & Sap. 2. v. 6. 7. 8. 9.

II. $\chi\eta\mu\alpha\lambda\eta$, turpis luci cupida; ubi resident dies noctes-
que se Mammonis & Plutonis curis macerantes, quorum Sym-
bolum:

O cives, cives, querenda pecunia primum, Virtus post nummos.

III. $\tau\zeta\alpha\lambda\eta$, πολιτη, ambitioni dedita, ubi inanis
gloriæ cupidissimi sedes suas fixere, quibus Symbolum:

Omnia si perdas famam servare memento, Quâ semel amis-
sâ postea nullus eris.

IV. Θεωρητη, iis consecrata, qui quotidianis se debili-
tant contemplationibus, quibus unicâ cura est; Aethereas pri-
mum concendere domos.

V. Virtuosa, continens illos, qui solo gaudent virtutis ba-
bitu. Harum classium Patroni quilibet suam pro Summo Bono
habet; num autem veritas correspondeat, jam videbimus, à
Voluptuosis initium facturi.

LXXI.

Quæritur ergo I. Num Voluptas sit Summum Bonum, ?
Definitur ea, quòd sit motio quadam animi, & constitutio sensibi-
lis & subita in statu naturæ conveniente, ejus contrarium vero esse
molestiam. I. i. Rhetor. c. ii. In genere notat lætitiam variam &
multiplicem; diversitatem jam non videbimus, sed remitti-
mus, brevitatis gratiâ, Lectorem ad Dissert. de S. B. Clariss. Dn.
D. Meisneri, c. i. q. 4. ubi fusijs pertractatur, cujus quoque me-
minit Philos. lib. 10. Nic. c. 5. & 6. Hoc saltem reponimus, aliam
dici voluptatem animi, aliam corporis, l. 3. Nic. c. 10. l. 7. c. ult. Il-
lam Eudoxus olim venditabat pro Sommo Bono, lib. 10. Nic.
c. 12. & Magirus in l. 10. Nicom. c. i. pag. 923. quæ quidem senten-
tia non est adeò absurdâ, & planè damnanda, siquidem sub se
continet gaudium illud, quo homo, absque dolore, l. 10. Nic. c. 2.
intus afficitur ob recte cognita, dicta & facta; sed tantum cor-
rigenda, ut minus accurata, ut pote quæ non discernit Sum-
mum

mum Bonum ab effectu suo , ut habet KecKer. in præc. Eth. p. 22. Est enim voluptas animi effectus Summi Boni , & perfectæ operationis subsequens signum, accidensque inseparabile , si- cut corporis venustas est signum sanitatis & ætatis florentis. Imò & perficit ipsam operationem , non quidem ut habitus qui insit; sed ut qui adveniat quidam finis , l. 10. Nic. c.4. Et sic non est Summum Bonum ipsum , sed tantum ut quiddam suo ordine sequens, D. Pezelius, l.1. Eth. p. 91.

LXXII.

Quum ergo voluptas animi non potest appellari Summum Bonum; quâ fronte Epicurei voluptati corporis illam nobilissimam sedem deferant, non video , siquidem hæ illis omnibus modis sunt inferiores. *Illarum* enim non datur excessus , quia proveniunt ex actionibus perfectorum habituum ; *bis* abuti possumus & solemus vel maximè. *Ille* obveniunt ex iis rebus, quæ per se, & suâ naturâ semper sunt jucundæ ; *ha* ex iis, quæ tantum sunt & eveniunt per accidens; *Ille* vacant dolore ; *ha- rum* extrema dicto citius luctus occupat, Prov. 14. v. 13. Golius, l.7. Eth. c.14. p. 290. 291.

LXXIII.

Per voluptatem corporis autem intelligimus illam, quæ excibo, potu, Venere, & aliis rebus provenit , & homini cum bestiis communis est. Hanc Epicurus pro Summo Bono hominis habet & obtrudit, sed quam iniquissimè, mox erit in propatulo.

LXXIV.

Dicimus verò : Hanc nihil minus esse, quam Summum Bonum, id quod patescit ex Notis Summi Boni essentialibus, superioribus thesibus expositis. Nam I. Summum Bonum hominem perficit; voluptas magis corruptit & deteriorem reddit. Est enim juxta Cic. I. de Leg. malorum mater, cuius blanditiis corrumpuntur quæ naturâ bona sunt, aufert cor. Of. 4. v. II. & ejus usu animus luxuriare incipit. II. Illud est soli homini adultiori proprium; hæc verò etiam in pueros & in bestias cadit, l.7. Nic. c. 12. l. 10. c. 5. Imo bruta frequentius illâ frui quam hominē , & hinc

hinc pecunium potius, quam humanum bonum dicendum esse, afferit Donalds. l. i. Syn. Eth. c. p. 24. III. Illud est divinum; haec non item, siquidem omnes divinas actiones in homine impedit, & prudentiae impedimento est, l. 7. Nic. c. 12. Unde Causus l. i. Spec. Mor. c. 4. p. 21. illam nominat escam serpentis, cicut am virtutis, spumam & sperma Veneris, sentinam & tadem omnis turpitudinis, communemque cum bestiis quasi pestem. Est voluptuosis Deus venter; pulmo templum, aqualiculus altare, coquus sacerdos. Eorum tota Charitas in cacabis fervet, tota fides in culinis calet, tota spes in ferculis jacet, referente ex Tertull. l. contra Psychicos Clariss. Dn. D. Meissner, in Dissert. de S. B. c. 1. q. 8. p. 99. quae quia cum Summo Bono convenienter, non video. IV. Illud est diuturnum & stabile, haec citio transiens. Facile enim casus quis intervenire potest, quo voluptas in planctum & lamentationem tristitiam vertatur. Extrema enim gaudii occupat luctus, Prov. 14. v. 13. Fluit voluptas, & prima queque evolat, saepiusque relinquit causas penitendi, quam recordandi, ait Cic. l. 2. de Fin. V. Illud est bonum honorabile; haec non item, quia in ejus Regno non consistit Virtus, ut ait Cato Major, regnat leta insania, reddit hominem indignum nomine suo, vel uno die usurpata. Cic. l. 2. de Fin. Unde etiam talis homo, qui nulli non voluptatum generi indulget, omnibus bonis solet esse execrabilis, & nullo honore dignus aestimatur, l. 5. Polit. c. 10. VI. Felicitas dicitur rationi amica, haec inimica: hinc fit, ut nunquam ex illa de actione aliqua judicare possimus, lib. 2. Nic. cap. 9. ea enim naturam nimis corrumperit, judicium depravat, omnes animi facultates enervat, & plerumque sibi habet adjunctam molestiam & laborem. Unde Cicero in Cat. Majore: Impedit consilium voluptas, rationi inimica, & mentis perstringit oculos: An vero etiam cogat ad peccandum homines, affirmativam tenuit Plato; Aristoteli contrarium placet, lib. 3. Nic. c. 1. de quo vide Magirum in Eth. Nic. p. 198. Tandem Summum Bonum est communicativum sui; Haec non item; Ludit enim tantum cum suis, & dum putatur communicare, certo deprehenditur privare, & ut verissime Gregorius inquit, In voluptatibus pro unica guttula dulcedinis, inventur

tur abundantia amaritudinis : Paucitas est mellis , sed quantitas magna fellis: Momentaneum quod delectat; eternum vero quod cruciat: O miseri, quibus tantillus cibus interitum affert! Est enim juxta Hieron. nil aliud, quam ignis infernalis cuius flamma superbia, cuius scintillæ prava colloquia, cuius fumus infimia, cuius cinis immundicia, cuius finis gehenna. Egregium Summum Bonum:

LXXXV.

Pessum ergo eat Epicurus cum suo Summo Bono, & sibi soli habeat, Pœnitere cum Demosthene ne tanti emam, quis enim appeteret id, quod sibi inferret exitium præsentissimum? Solidè quoque refutatur à Philosopho, l. 2. Mag. Mor. c. 7. & l. i. Rhetor. cap. 6.

LXXXVI.

Ne verò omnem cum Platonicis voluptatem destruxisse, & nomine boni planè indignam proclamasse videamus, dicimus cum Philosopho, lib. 2. Nic. cap. 14. & l. 10. c. 12. voluptatem quoddam Bonum esse, suo genere l. 2. Mag. Mor. c. 7. Sed non nisi apparens, l. 3. Nic. c. 6. & l. 7. c. 13. Intelligimus tamen honestam, lib. 7. Nic. c. 6. l. 10. c. 5. quam cum Donalds. l. 2. Syn. Eth. c. 7. p. 121. definimus, quod sit ea, quam naturæ necessitati satisfaciens ex rectæ rationis præscripto corpus percipit. Est itaque voluptas bona non nisi quatenus vel ad corporis sustentationem, vel propagationem sobolis, & quatenus non excedit modum & terminum, quem recta ratio præscribit, & naturæ necessitas postulat, de qua Virgilius in Epigram. quodam:

Vina sitim sedant, liberis Venus alma creandis
Serviat: hos fines transiliisse nocet.

Plura qui hac de re expetit, videat Dissert. de S. B. D. Meissneri, c. 2. art. 2. p. 258. seqq. Magirum in Eth. Nic. p. 663. 290. seq. 700. seq. & 923. seq. & alibi. Kecker. lib. 1. Syst. Eth. cap. 2. pag. 136.

LXXVII.

II. Quæritur: Num Summum Bonum in divitiis & opibus sit collocandum? Ita olim censuit Cræsus & cum illo Midas, cui nil exoptabilius erat, quam si quæcunq; contrectaret, in aurum converterentur, quotandem impetrato, fame exessus, periit miserrime, cuius historiam vel potius fabulam vide l. i. Pol. c. 9.

E

Hac



Hac siti & hodiè æstuant plurimi, qui etiam modò pecuniam, quæ tamen nil nisi Naturæ stercore sunt, è visceribus terræ promanantia, (ut scitè Ovidius scribit) lucentur, vitam prestituere, & illius nullam rationem habere non dubitant. Et ita divitias, ceu ultimum finem & Summum Bonum sibi unicè præfixum habent. Quàm enormiter verò peccent, & quàm injuriosi in seipso sint, vel inde linquet, quia eo ipso omnes ferè Summi Boni infringerentur Notæ essentiales, quod jam videbimus.

LXXVIII.

Ut paucis rem expediamus: Divitiæ tantum pendent ex arbitrio fortunæ, cuius imitantur inconstantiam; obveniunt maximam partem malis & improbis, l. Probl. sect. 29. prob. 8. plerumque per fas & nefas corraduntur, Unde Virgil: *Auri sacra fames quid non Mortalia cogis Peccora*; obveniunt violenter, l. i. Nic. c. 3. hinc violenter & per vim contra fures sunt custodiendæ, Unde Juvenalis, Sat. 14. ait: *Divitias magnâ quidem curâ adquiri; majori autem metu servari*: Insuper & violenter impediuntur à suo fine: Illarum enim finis est, ut utamur illis vel quoad nos, vel quoad alios, vel ut illis nobis, vel aliis indigentibus benefaciamus. Divites verò, quia plerumque sunt tenaces, & difficulter benefaciunt; hinc illæ per violentiam fine suo destituuntur, & ita illis pessimè abutitur. Insuper nec propter se expetuntur, sed vel propter honorem, vel aliud quid, lib. i. Nic. c. 3. & l. 4. c. 7. reddunt animos possidentium contumaces, contumeliosos & superbos, l. 2. Rhet. c. 16. *lædunt conscientiam, sunt materia laborum; periculum possidentium, enervatio virtutum, malus dominus, & proditor servus*. Aug. de verbo Dom. serm. 12. Quæ omnia contra Notas essentiales Summi Boni apertissimè pugnare, & consequenter nil minus esse, quàm Summum Bonum, quis est qui non deprehendit?

LXXIX.

Interim tamen non penitus improbamus divitiarum possessionem, *hæc enim non peccatum est, sed id est peccatum, non distribuere pauperibꝫ*, ait Chryso. Et Seneca ait, epist. 108. *Divitias*

NON

non nisi cùm honestè administratae sint, bonas esse incipere. Præcipuum enim liberalitatis objectum sunt $\chi\epsilon\nu\alpha\tau\alpha$, vel divitiæ; quo nomine veniunt omnes res, quarum ad vitæ sustentationem est aliquis usus. His subveniendum est aliis indigentibus, alias, divitiæ frustrantur suo fine, & fiunt malæ. Sunt alias optimum donum, & ad optimum finem destinatæ; quibus etiam Republica minimè carere potest, lib. I. Polit. c. II. imò necessaria pars civitatis sunt. l. 7. Polit. c. 8. Ultimus tamen hominum finis idèò dici non merentur. Veræ enim divitiæ juxta Bernardum, non sunt opes, sed virtutes, quas secum conscientia portat, ut in perpetuum dives fiat. Corruit quoque hoc ipso Solonis opinio, qui divitiarum nullum finem esse proclamavit, qui idèò refutatur à Philosopho, l. I. Polit. c. 8. & 9.

LXXX.

III. Quæritur: *Num Summum Bonum in honore situm sit?* Respondet Periander quòd ita; & cum illo omnes ambitiosi; nos verò quòd non: Ratio est: Quia respectu Notarum enumera- tarum nihil minus esse potest, quam honor.

LXXXI.

Honor enim non est bonum hominis òneïov, sed depen- det ex arbitrio deferentis, l. I. Nic. c. 5. ideoque est etiam muta- bilis, uti voluntas hominum mutabilis & omnium horarum est, & facile amitti potest: *lubrica enim est fortunæ scala, & co- mites Regni semper invidia est*, ait Casus, l. I. Spec. Mor. c. 4. p. 22. ex- petitur propter virtutem non propter se; unde à Scaligero ex- er. 317. Sect. 3. definitur *conditio virtutis in persona*, quod innuitur etiam lib. 5. Polit. c. 8: honore possumus abuti, & sæpè homines reddit deteriores, admittit etiam gradus, nec omnis omnibus tribuitur l. 9. Nic. c. 2. sed pro dignitate, l. 5. Polit. c. 3. nec dignus censendus virtute, l. 4. Nic. c. 7. quùm sit ejus tantùm præmium, l. 8. Nic. c. 16. hinc & ignavi honoris incumbere possunt, l. 2. Po- lit. c. 7. Unde sequitur honorem non esse Summum Bonum.

LXXXII.

Nec obstat, quòd vulgò dicatur bonum ðeïov, quo affi- milamur quodammodo Deo; & præmium virtutis. Nam licet

honor sit virtutis præmium, quod consistit in conciliatione amoris & laudis tām apud honestos, quām adversarios, Kec-Ker.lib.1.Syst.Eth.cap.2.p.17.non tamen est ipse finis agentium. Multi enim sunt consecuti beatitudinem, qui tamen Iro Crodroque fuere in honestiores. Honor enim ut umbra tantum homines fugientes sequitur; persequentes verò fugit, & præmium felicis est si non dignum; tamen non indecens. Sic quoque non omne per quod Deo assimilamur, est finis boni practici: Per artes verò quoddammodo assimilamur Deo, Ergo. Fit enim hoc tantum formaliter; non autem per honorem externum, quippe in quo beatitudo Dei non consistit, sed per virtutem & bonarum actionum exercitium. Et quia honor est tantum externum quid, internum verò animnm non afficit; hinc honoris encomia ad solum corpus, non animum reflextenda sunt, unde etiam dicitur bonorum externorum maximum lib. 4. Nic.c.7. Summum Bonum verò versatur circa animum. Ergo Summum Bonum appellari nequit. Alias verò vi- rum bonum appetere honorem non videtur culpabile, si modo aucupetur pro merito & virtute, quā se honore dignum putat, & ut est externum signum & testimonium, quo alii illum prosequuntur & ornant propter virtutem, tunc non omnino negligendus est, sed moderatè opera danda, ut probitas nostra aliis elucescat, & virtutes sua consequantur præmia. Ante omnia verò de tribuendo magis, quām accipiendo honore debet esse sollicitus.

LXXXIII.

IV. Quæritur: *An Summum Bonum consistat in contemplatione communis Ideæ omnium bonorum?* Affirmat Plato, & cum eo omnes ejus asseclæ. Sed num Summi Boni hæc obat naturam, jam fiet manifestum.

LXXXIV.

Statuit Plato, ut rerum omnium, sic & bonorum communem quandam ideam dari, ejusq; contemplationem Summum esse Bonum hominis. Quam sententiam nos brevitatis gratiâ ventilare assie nolumus, sed remittimus Lectorem ad Autores illos, quorum:

quorum operâ illa jamdudum concussa jacet; ut Piccol.grad.
9.c.23.seq.Dissert.de S.B.Dn.D.Meisneri,c.1.q.ii.p.141.seqq.Do-
nalds.l.i.Synt.Eth.c.2.p.29.seq.Casum l.i.S.M.c.4.p.29.seq. Go-
lium, lib. I. Eth. cap. 6. pag. 22. seqqu. præsertim illum refutat
Aristoteles, l.i.Nic.c.4.vide Magirum in Eth.p.45.seq.

LXXXV.

Nos quidem respondemus, Theologicè nullam majo-
rem dari felicitatem, quam *Deum contemplari & videre*, Joh.
17. v. 3. Philosophicè verò loquentes Platoni adstipulari non
possimus, præsertim quum nulla sit talis idea univoca, qualem
Plato constituit, quod ostendit boni varietam, & Scientiarum
diversitas; communis idea verò uni scientiæ tantùm subiecta
sit, necesse est. Talis ergo nequaquam darur, experimur enim
quodlibet bonum singularem requirere scientiam, eò quòd
sint in diversis prædicamentis: Ita Deus & Mens sunt in sub-
stantia; Virtus in Qualitate; Aequale in Quantitate; Utile in
Relatione; Vivere, orare in Actione; erudiri, sanari in Passio-
ne, &c. Omnium ergo bonorum non datur idea communis.
Posito verò, detur aliqua communis idea bonorum, in ipsa
tamen Summum Bonum collocare qui posses; Quæritur enim
hīc tale bonum, quod industriā humanā comparari potest. Ta-
lis autem idea communis non est, quippe, quæ vix mente po-
test percipi. 2. Quærimus felicitatem practicam; Ideæ verò in
contemplatione tantùm positæ sunt, & ab actionibus remo-
tissima. 3. Et pessimi homines possunt occupati esse circa ide-
am; Tale verò bonum hīc quæritur quod solis bonis est pro-
prium. Unde invictissimè sequi videtur, Ideas Platonicas bono
practico ne ad minimum quidem respondere.

LXXXVI.

Tandem V. quæritur: *An Summum Bonum consistat in Vir-
tutis habitu?* Calculum adponere videtur Zenocum Stoicis vir-
tutem in genere ponens Dion; prudentiam; Bias Sapientiam;
Socrates verò scientiam. Horum autem Solum habitum pro-
Summo Bono habent.

LXXXVII.

Sed dicimus; virtutem quidem *fundamentaliter* esse Summum Bonum, quatenus consideratur ut causa proxima, ex qua immediatè provenit. *Formaliter* verò non item, sed habet se tantùm ut *medium tendens ad finem* (aliud enim medium tendens ad beatitudinem dari nequit, quàm virtus & amicitia) ut habet KecKer. in præcog. Eth. p. 23. Beatitudo enim non in nudo habitu, sed operatione; ἐν τῷ οὐτόσιοι, ἀλλὰ χείσει τῆς ἀρετῆς consistit; l.10.Nic.c.10. Et licet alias virtus sit pretiosior auro, & sola post funera vivat; tamen si illam *in habitu non actu, in quiete non motu, si deniq; in sinu non manu teneas*, certè ut parùm prodest aliis ad exemplum; ita sibi deest ad nomen beatitudinis *auctorandum*, ait Casus , Spec.Mor.l.i.c.4.p.23. Et sanè Summum Bonum est finis postremus, in quo desinit & terminatur appetitus & operatio agentis ; Sed in solo virtutis habitu non acquiescit Vir bonus; sed eum refert ad actionem; virtutem enim discimus, ut exerceamus; sicut artem, ut secundum eam operemur, ait KecKer. disput.21.Curs. Philos.q.1.Unde etiam non sufficit virtutem cognoscere, sed eā utendum, l.10.Nic.c.10.

LXXXVIII.

Adde, quòd virtus etiam destituta sit quibusdam Summi Boni notis essentialibus : Potest enim 1. ejus habitus in otioso & dormiente reperiri, l.i.Nic.3. quatenus ille habitus perfectus semper manet unus & idem: Neutri tamen horum Summum Bonum assignari potest. 2. Virtutis habitus non expetitur propter se, sed propter laudabiles & jucundos effectus. 3. Habitui virtutis semper potest addi quiddam, quo ipsi fiant illustiores & perfectiores. 4. Virtutes quædam nobis insunt à Natura , quæ alias *diavonturgi* & intellectuales vocantur, ut sunt naturæ dotes, ingenii acumen, docilitas, bona memoria, usus rerum, &c. sine quibus parùm in discendis artibus possumus proficere; moralium verò nulla nobis à Natura inest, sed assuefactione comparantur, l.2.Nic.c.1. Vide Magirum, in Eth. Nic.p.115.seq.Unde sequitur, Virtutis habitum neutiquam esse posse Summum Bonum.

LXXXIX.

LXXXIX.

Refutatis ergo priscorum Philosophorum erroribus, firma & immobilis perstat opinio Aristotelica, *summum Bonum in operatione anime rationalis secundum virtutem optimam & perfectissimam collocans. Hæc enim illa cuncta est, quæ periculosa vita humana navigationem in recto cursu dirigit, & quam suis viribus homo naturalis assequi potest.* Donalds. I. I. Syn. Eth. c. 3. p. 33.

XC.

Nullum proinde agnoscimus aliud bonum, & alium finem ultimum nostrarum actionum secundum virtutem institutarum, præter illum cujus natura cernitur tantum in *bonis internis*, usus verò in *externis*. Etsi enim beatitudo sit bonum *autæquæ*; nihilominus tamen requiruntur etiam facultates aliquæ, ad ejus *integritatem non essentiam*; vel requiruntur non *στιώδως* vel *essentialiter*, sed tantum *συνεγγός & instrumentaliter*, ad ejus *constitutionem & majorem splendorē*, vel prout tantum media facilius operandi & virtutem exercendi existunt. Opus enim est adjumentis quibusdam ab benè vivendum, ait Philosophus, l. 7. Polit. c. 13. & l. 10. Nic. c. 9. Alias verò & virtuosus carceri inclusus felix dici meretur, licet quoad externam felicitatem non sit adeò conspicuus. Unde rectè Casus, l. I. S. M. c. 8. p. 48. ait: *Natura & error, morbus & deformitas miserum non definiunt. Beati enim à sola virtute; miseri à solo vitio denominantur*, de quibus omnibus vide latius discurrentem. Donalds. I. I. Syn. Eth. c. 4. p. 40. & seqq. Iis verò ademtis, labefactatur felicitas, non tollitur; faciunt enim ad felicitatem non ut actio immanens, ad habentem relata; sed ut transiens, requirens externa bona cum organa, quibus virtutum actiones commodius exerceat, quod uberioris dedit KecKer. in præcog. Eth. p. 30.

XCI.

Atque ita bono cum Deo portum attigimus jamdudum exoptatum. Ad calcem examinavimus Summi Boni naturam, causas, notas essentiales, contrarias opiniones, accidentiaq;;

ut



ut nihil restare possit, nisi ut addantur propria, & felicitatem
immediatè consequentia, quæ sunt *Bona Conscientia*, & *Volu-*
ptas animi honesta; quarū tractatione fusiore, ne theses in infi-

nitum crescere videantur, supersedere jam malumus, quām
illam suscipere, præsertim quām suprà thesi 71. de illis aliquid
dictum sit. Introspici ex abundanti poterit Dissert. de S.B.Dr.
D. Meissneri, c.2.p.197.seqq. KecKer. I.I. Syst. Eth. c.2.p.136. ubi il-

larum tractatio reperitur sufficientissima.

COROLLARIA.

I.

An omnia appetant bonum. Affirm.

II.

*An in hominem mortalem cadere possit Summum
Bonum. Negatur.*

III.

*An unus præ alio sit beatior, vel an Summum Bo-
num recipiat magis & minus. Distingu.*

IV.

*An Summum Bonum practicum possit amitti. Ne-
gatur.*

V.

An felicias morte finiatur. Distingu.

VI.

*An detur Summum malum, Summo Bono opposi-
tum. Distingu.*


F I N I S.

05 A 1992

ULB Halle


003 786 870

3



KD72

Farbkarte #13



DISPUTATIO ETHICA
DE
**SUMMO HOMI-
NIS BONO PRA-
CTICO**
*Auspiciis,
Bonorum omnium Fontis uberrimi
D. O. M.
ET
Præsidio*
M. ANDREÆ KESLERI,
Coburgô Franci, Facultatis Philosophicæ
in Almâ Leucorea Adjuncti,
Publicæ & placidæ disquisitionis subjecta
A
MELCHIORE DURRIO, TORGensi
Misnico, Alumno Electorali.
*Habenda ad diem 21. Janii, horis à 7. matutinis, in Audi-
torio Philosophorum.* 1970

VVITTEBERGÆ
Typis JOBI VVILHELMI FINCELII
ANNO M. DC. XXIII.

54.